

nestis et non suspectis personis nihil saevi permittit suspicari. (c. et Nobis. de Cohabit. Cleric. gloss. in c. Cum in juventute. de Praesumpt. et l. Eum qui. C. de Episcop. et Cleric.).

STATUTUM XXVII.

De pernoctatione extra Collegium.

Licet omnis suspicio potius repelli, quam approbari et recipi debeat. (can. Oves. 6. 9. 1.) et in dubiis de quolibet bene semper praesumendum sit. (glos. in Extravag. Joann. 22. Quorundam. v. Speramus de Verb. signific.) tamen si Professor dimissa honesta requie habitationis suae, alibi eandem cum suspicione quaerat, providimus et Statuimus, quatenus nullus, nisi sit rationabilis causa et omnis absit suspicio, extra Collegium pernoctare audeat, quodsi secus facere praesumpserit et in loco inhonesto repertus vel convictus fuerit, poenis in Statuto immediate posito expressis subiaceat irremissibiliter. De similibus enim ad similia procedendum est. (l. Non possunt. ff. de Legib. et Senat. Consult.) Qvos namque par facinus coinquinat et aequat, utrosque similis poena comitetur. (l. Si quenvquam in fin. et ibi gloss. v. Par facinus. C. de Episcop. et Cleric.).

STATUTUM XXVIII.

De Optione Beneficiorum et Professionum.

Quod de optione Habitationum supra Statut. 20. statutum est, id ipsum ad Beneficiorum et Professionum optionem ipsius aequitatis ratio, quae, (secundum Bald. in c. Dilectis. de Rescript.) ipsa lex est, extendere svaadet et non immerito. Ubi enim eadem militat ratio, ibi idem jus statui debet. (l. Illud. ff. Ad. l. Aquil. et l. 1. §. 1. ff. de Fonte). Quapropter statuimus, ut in Beneficiorum et Professionum optione habito respectu ad non habentes et idoneos (jux. Declarat. Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Reform.) prioritas vocationis ad Collegium, meritum et idoneitatis sancte et inviolabiliter observetur. Qui enim est prior tempore, debet esse potior jure. (c. Cum autem. de Jurepatr. c. 1. de Ma-

gorit. et obed. et l. Potior. ff. Qui potior, in pignor. habeant.). Unde illud: Contra majorem, nemo praesumat honorem. (l. Quia etsi et ibi gloss. v. Non possumus. ff. de Alien. Judic. mutat. causa facta).

STATUTUM XXIX.

De modo conferendi Beneficia Collegii Extraneis.

Siquidem Beneficia Collegio incorporata et ad ejus collationem spectantia exiguos habeant proventus adeo, ut ex illis sustentatio debita esse nequeat: ideo statuimus, ut hujusmodi Beneficia pro unica duntaxat vice, nisi aliter Collegio visum fuerit, etiam Extraneis conferri possint et valeant. Caeterum quia receptor Beneficii naturaliter beneficientibus benefacere teneatur (per l. Sed etsi lege §. Consuluit. ff. de Petit. Haeredit.) ad auctionem ejusmodi Beneficii ex collatione Collegii accepti, tum quam minimam obligationum (ut exactius penes Professionem per Professorem adimpleantur) impositionem obligetur idque in effectu et non in verbis tantum praestandam. Promittentibus namque maria et montes non est credendum (jux. gloss. l. Non omnes. §. Qui transfugit. v. Ea. ff. de Re militar.). Ubi enim opus est facto, ibi verba non sufficiunt. (l. Peculium. in fin. ff. de Pecul.). Facta ntique sunt verbis potiora. (l. De pupillo. §. Meminisse. ff. de Nov. oper. nuntiat.) et carius est modicum praesens, quam multa futura: (l. Cum hi et ibi gloss. v. Modico. ff. de Transact.) Quod idem (Claudian. in d. gloss. Modico.) confirmat inquires: Omne futurum despicitur svadentque magis praesentia fructum.

STATUTUM XXX.

De Mensa Collegii instituenda et manutenenda.

Licet hactenus communis Collegii mensa sit intermissa, tamen ad eandem manutenendam non solum Foundationum praescriptis, verum etiam majori Professorum commoditate, minori pro eadem expensarum, quae ex symbolis, hoc est plurium collatione (jux. gloss. can. Non oportet. v. Ex Symbolis. dist. 44.)